

uti quoque **STERNA** *canescens* et *minuta*, **ANAS** *dispar*, et *histriconica*, **ANSER** *Cinereus* et *ruficollis*, **CYGNUS** *Gibbus* seu *Olor*, **LARUS** *Glaucus*, *Cinereus*, *ridibundus* et *minutus*, **COLYMBUS** *glacialis*, *parotis* et *rubicollis* ad insulam Gottlandiam interdum migrantes.

SCOLOPACIS *galinulae* et **RALLIS** *porzanae* specimina in prato Regio circa Upsaliam aliquoties occisa fuerunt, uti et **TRINGA** *arenaria*.

ARDEA *minuta* in Vestmania pro Museo occisa fuit ante aliquot annos.

TETRAO *eremita* dictus e Torneå affinibus oris allatus, a *Tetraone Urogallo* colore valde diversus, singularis est vel varietas *urogalli* vel distincta species, quæ Museum Upsaliense exornat.

TETRAO *rupestris*, qui summa cacumina alpium Lapponiæ inhabitat, multum differt a *Tetraone* **LAGOPO** et rarior in Museis occurrit.

MEROPS *apiaster* meridionali Svecia rarius visus fertur, avis migratoria, uti et forsan adhuc rarior

TANTALUS *falcinellus* ad Gottlandiam quandoque adveniens.

— *Amphibiorum* in Svecia, sub frigidiori coelo sita, pauca quidem semper numerantur genera. Nihilominus tamen sensim indagatae fuerunt nonnullae species, antea ignotae, ut **VIPERA** *ferruginosa*, **ANGUIS** *eryx* et *lineatus*.

Pisces inter, forsan plures species adhuc incognitae ad oras nostras adveniunt, sensim indagandae et describendae. Plures dudum recentiori ævo, per industriam